



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae

Schnorrenberg, Anno

Coloniae, 1740

LXV. In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)

REGULA LXV.

In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.

Quæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Quando duorum in delictis, debitis & contractibus causa est æqualis, melior est conditio possidentis: adeo ut alteri non possidenti præferatur. Ratio est: quia duo Tituli potiores sunt & uniprævalent, possidens autem duos habet titulos, unum dubium, an res ad se pertineat, & in hoc adversario suo non possidenti est æqualis; alterum in juris fundatum præsumptione: jus enim in dubio favet possidenti; quo titulo caret adversarius, ideoque possidenti postponendus.

Quæres secundo. Quæ Regulæ Exemplum?

ꝛ. Sequentia: *imm.* est in *Can. non sanè 15. caus. 14. q. 5.* ubi quidam corruperat Judicem, ut iniquam ferrer sententiam, qui postea pecuniam à corrupto Judice repetiit, utique velut ob cau-

sam turpem datam; sed respondetur Judicem ad reddendam corruptionem non obligari; quia in pari delicto melior est conditio possidentis.

2dum in *cap. quia frustra, 14. de usur.* Usurarius usuras à se suis creditoribus datas repetiit: sed respondetur usurarium prius obligari perceptas restituere usuras, quàm repetere à se datas: quia in pari delicto melior est conditio possidentis

3tium. in *cap. si à Sede, de præbend. in 6.* ubi duo simul & eodem tempore, unus à Papa, alter à Collatore Ordinatio idem impetraverant beneficium: & resolvitur: si non appareat, quæ collatio fuerit primò facta, est potior conditio possidentis; si verò neuter possideat, is cui Sedes Apostolica, vel Papa contulit, propter conferentis amplioris prærogativam est alteri præferendus.

C A S U S.

Ad utramque Regulam.

Lidovina promisso Titio 12. annorum Juveni matrimonio (A) contrahit prætermisissis proclamationibus,

tempore interdicto, stante prohibitione Ordinarii, (B) coram quo super alia promissione conventa, præsentibus testibus

sibus, puero 8. annorum ac muliere semifatuâ, ac putatio pastore, excommunicato, hæretico, de quo fundatè dubitabatur, an esset Sacerdos (C) cum Cajo fratre uterino Titii, qui novercam Lydvina ante cognoverat, (D) Titius, antequam matrimonium cum Cajo

contummaret, implorat Ordinarium, qui Lydvinam à Cajo separat. (E) Sed cum causa ab utraque parte esset dubia, iudicat pro matrimonio, ex Regula: *in pari causa potior est conditio possidentis.* (F)

RESOLUTIO.

(A) Sponsalia cum Impubere contracta valida, sed infirma erant.

(B) Ideo contrahendo; antequam Titius pubertatis annos attigerit, prætermisissis proclamationibus, tempore interdito, agit contra Jus, quia tamen non agit contra Jus irritans, sed solùm simpliciter prohibens, non est invalidum ex hoc Capite matrimonium.

(C) Ad essentialem matrimonii solemnitatem quicumque testes rationis compotes sufficiunt. Si errore communi putabatur parochus, validè assistebat, Ecclesiâ propter communem errorem cum titulo colorato defectum supplente, dummodò aliàs capax esset. Nec ut Jurisdictionis parochialis quis capax sit, Sacerdotium requiritur, sed sufficit

clericatus. Unde si Clericus communi errore putetur Parochus, non vitiat contractus.

(D) Ex sponsalibus cum Impubere contractis publicæ honestatis oritur impedimentum. Hinc nullum erat ex hoc capite matrimonium, quamvis Cajo Novercam Lydvina cognoscendo affinitatem cum Lydvina non contraxerit, cum noverca Lydvina non esset consanguinea.

(E) Ordinarius Cajum, si de impedimento non constabat, post contractum matrimonium à Lydvina separare nequibat.

(F) In dubio tamen benè per Reg. 65. pro matrimonio iudicavit.



REGULA LXVI.

Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.

Q Uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?
R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

Et. Quoties in lege, contractu, testamento, aliâve in favorem alicujus factâ
Y